



Per.  
Lat  
020

teinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse  
Laptulajdonos: Katolikus Középkolai Tanáregyesület. — Sumpibus Societatis Magistrorum Catho-  
licorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Ir. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — admi-  
nistration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER  
REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142—215).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction),  
ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR.,  
Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1939—40. 3 pengoe, extra  
Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gen-  
tium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum  
si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

## Duo decennia Nicolai Horthy gubernaturae.

Bis tantum Hungariam mille per  
annos gubernator regebat. Primus  
erat *Ioannes Hunyadi*, terror ille  
Turcarum, qui Vladislao I-o rege  
mortuo munere regendi regnum  
gloriose functus est (1446—1453,  
filius eius Matthias patre mortuo  
iuvenis a. 1458 rex creatus est).  
Alter gubernator *Ludovicus Kossuth*  
creatus est, ut iura legesque Hun-  
gariae contra vim Habsburgicam  
defenderet. Tertius post illos, quo-  
rum nomina etiam extra patriam  
nostram haud sine aestimatione  
memorantur, finito illo infelicissimo  
omnium quae unquam gesta sunt  
bello, *vitész<sup>1</sup> Nicolaus e nobilibus  
Horthy de Nagybánya* gubernator  
creatus quasi alter conditor patriae  
nihil praetermisit, quin Hungariam  
mutilatam et exspoliata confirmaret.  
A. 1920 patria nostra ab  
omnibus, qui adiuvare possent,  
deserta<sup>2</sup> hostibus victoribus prae-  
dāque necopinata<sup>3</sup> superbientibus  
contemptui et derisui erat. At  
hodie, cum iam novus exercitus  
noster semper paratus est ad defen-  
dendos hos sanguine tot saeculorum  
sacratos fines, iterum habemus,  
qui nos aestimant, amicos intra  
et extra Europam, imprimis Ita-  
liam, cuius Dux ingeniosus maxime



Pittacia duo decennia Horthyana  
celebrantia: 6 f. viride; 10 f. cinera-  
ceum, caput cervini coloris; 20 f.  
rubrum.

omnium intelligit desideria nostra.  
His status rerum soli gubernatori  
nostro ab omnibus civibus amato  
— ne dicam: adorato — debetur,<sup>3</sup>  
qui sapientiā suā tam feliciter dire-  
xit navem regni nostri inter Scyl-  
lam et Charybdim nationum bel-  
licosarum, ut partes quamquam  
haud ita magnas, tamen pretiosas  
Hungariae Magnae novissime sine  
bello recuperare potuerimus. Quae  
cum ita sint, ad hunc primum  
virum Hungariae non solum gra-  
tulationes innumerabiles undique  
terrarum, sed etiam dona regia  
missa esse quis miretur? Guber-  
nator autem noster sapientiam cum  
modestiā coniungens, cum furiae  
belli ubique tot victimas poscerent,  
vetuit se sollemnibus celebrari,  
quare die anniversario in omnibus  
templis sacerdotes et cives preci-  
bus ab imo pectore fuis Omnipo-  
tentem oraverunt, ut hunc patri-  
ae quam diutissime ser-  
varet saluti Hungariae incolumem.

<sup>1</sup> titulus honorarius fortissimorum  
belli gentium 1914 — 1918 <sup>2</sup> cserben-  
hagyva = im Stich gelassen = aban-  
donnée <sup>3</sup> köszönhető = ist zu verdan-  
ken = c'est à lui qu'on doit



## LECTORIBUS MINIMIS.

## Jocosa.

1. *A.*: Quid est, tu non clamas, si a patre verberaris? — *B.*: Non est operae pretium<sup>1</sup>: pater surdus<sup>2</sup> est.

2. *A.*: Nunc ipsum dixit quidam nos valde similes esse! — *B.*: Ubi est ille nequam,<sup>3</sup> dentes ei elidam!<sup>4</sup> — *A.*: Sine, ego iam omnes elisi!

3. Aethiopem in via animus<sup>5</sup> relinquit.<sup>5</sup> Medicus societatis auxiliatorum<sup>6</sup> imperat nosocomis<sup>7</sup>: «Caput eius duo sustineant, unus autem fundat in os eius spiritum<sup>8</sup> vini<sup>8</sup> (Gallici).»<sup>8</sup> — Tunc Aethiops oculos aperiens voce leni: «Potius — inquit — unus sustineat et duo fundant spiritum vini!»


4. Quidam rusticus ascendit in ferriviam electricam et dicit: «Peto tesseram<sup>9</sup> viatoriam<sup>9</sup> usque ad valetudinarium (= clinicam). Quanti hoc constat?»<sup>10</sup> — «Triginta nummularum!»<sup>11</sup> — respondit conductor. Agricola nobili gestu dat ei unum pengonem: «Ecce amice, hic est tuus!» — Conductor praebet tesseram et gratias agit de munusculo<sup>12</sup> non opinato. Sed rusticus mox dicit ei: «Eho, quod retribuendum est,<sup>13</sup> illud meum est!»

5. Duo surdi congreduuntur. Alter interrogat: «Hamo piscatum<sup>14</sup> is?» Alter respondit: Non, hamo piscatum eo! — Tunc primus: «Putabam te hamo piscatum ire!»

*Iosephus Tóth dr. Csurgonensis.*

7. **Baculum.** Zingari<sup>15</sup> circumstant zingarum principem,<sup>16</sup> qui signum dignitatis suae manu tenet baculum, quod superne<sup>17</sup> in globum<sup>18</sup> argenteum desinit.<sup>19</sup> Zingarum princeps queritur: «Est mihi magno incommodo, quod tam longum est hoc baculum». Illi dicunt: «Decidas aliquantulum de eo!» — Princeps: «Miseret me<sup>20</sup> huius pulchri globi argentei. Nolo eum decidere». Illi: «Ne supra, in summitate decidas ab eo, sed infra, in fine baculi!» — Princeps: «Cur? Nam infra convenit<sup>21</sup> mihi baculum, sed supra est mihi perlongum».

8. **Onus.** Zingarus ingreditur in via. Duo filii a tergo ejus in reticulo<sup>22</sup> dependent. Colonus<sup>23</sup> benignus permittit ei, ut in currum suum ascendat. Zingarus utitur occasione. Ascendit in currum.



Amicus: Eheu! Tu magnopere deceptus es hac pictura, quam Rembrandtianam esse putas. Haec pictura 20 annorum est. — Novus dives: Per me licet esse 20 annorum. Maximum est eam vere Rembrandtianam esse.

Mox respicit colonus et videt filios zingari adhuc in reticulo de humeris zingari dependere. «Cur non deponis filios tuos?» interrogat eum. — «Nolo etiam eos equis oneri esse», respondet ille.

9. **Episcopus<sup>24</sup>.** Zingarus palatium archiepiscopi<sup>25</sup> vult intrare. A janitore prohibetur: «Per hanc portam tantum episcopus est via», dicit ei callide<sup>26</sup> arridens. — «Unde scis, nequam?» respondit zingarus — me non esse episcopum?»

*Fel. Gondán dr. O. Cist. — Baja.*

<sup>1</sup> érdemes = es lohnt sich der Mühe = il vaut la peine  
<sup>2</sup> süket = taub = sourd    <sup>3</sup> gazember = Schuft = coquin  
<sup>4</sup> kiver = herauschlagen = casser    <sup>5</sup> elájul = ohnmächtig werden = s'évanouir    <sup>6</sup> mentő = Rettungs = d'ambulance  
<sup>7</sup> ápoló = Pfleger = infirmier    <sup>8</sup> Cognac    <sup>9</sup> jegy = Fahrschein = billet    <sup>10</sup> mibe kerül = kosten = couter  
<sup>11</sup> fillér = Heller = centime    <sup>12</sup> borravaló = Trinkgeld = pourboire    <sup>13</sup> visszajár = ich habe noch zu bekommen = j'ai à toucher    <sup>14</sup> horgászni = angeln = pêcher à la ligne  
<sup>15</sup> cigány = Zigeuner = tzigane    <sup>16</sup> vajda = Häuptling = chef    <sup>17</sup> fent = oben = en haut    <sup>18</sup> gomb = kugelförmiger Knopf = pomme    <sup>19</sup> végződik = ausgehen = se terminer  
<sup>20</sup> sajnálom = es tut mir leid = regretter    <sup>21</sup> megfelelő = passend = convenir    <sup>22</sup> általvető, batyu = Quersack = besace    <sup>23</sup> paraszt = Bauer = paysan    <sup>24</sup> püspök = Bischof = évêque    <sup>25</sup> érsek = Erzbischof = archévêque    <sup>26</sup> furfangos = verschmitzt = astucieux

1. **Dies festus potatoris.<sup>1</sup>** *A.*: Bibo liquorem Conaci (= cognac) solum magnis occasionibus! — *B.*: Quae sunt magnae occasiones? — *A.*: Hercle!... Eo ipso tempore, cum bibo liquorem Conaci...

2. **Inter socios. Rationarius<sup>2</sup>:** Stolidus noster viator<sup>3</sup> dicitat omnibus me esse asinum! — *Argentarius<sup>4</sup>:* Grave est. Dimittemus illum, sicut vulgatorem secretorum nostrae argentariae!<sup>5</sup>

3. *Mater:* Carole, quo modo mavis edere pulum<sup>6</sup> gallinaceum? <sup>6</sup> Assum<sup>7</sup> cum iure<sup>8</sup> aut cum lactuca?<sup>9</sup> — *Carolus:* Cum manibus, mater mea!

4. **Inter amicos. Paulus:** Meo condiscipulo Antonio adhuc vivit bis-bis-avia.<sup>10</sup> — *Petrus:* Impossibile! Noli credere ei: Antonius ementitur (est mendax). — *Paulus:* Non, non ementitur: balbus<sup>11</sup> est! *Discipuli gymnasi Luganensis.*

<sup>1</sup> iszákos = Trinker = ivrogne    <sup>2</sup> könyvelő = Buchhalter = comptable    <sup>3</sup> kifiző (legény) = Bote = garçon de courses    <sup>4</sup> bankár = Bankier = banquier    <sup>5</sup> bank = Bank(geschäft) = banque    <sup>6</sup> tyúk = Huhn = poule    <sup>7</sup> sülvé = gebraten = rôti    <sup>8</sup> lé = Saft = sauce    <sup>9</sup> saláta = Salat = salade    <sup>10</sup> recte: proavia: dédanya = Urgroßmutter = bisaieule    <sup>11</sup> dadogó = Stotterer = bègue

4. **Gandhi cibo se abstinet.** Sermo est apud focum familiarem. Maritus (legit ephemeridem<sup>1</sup>): Potesne credere, anima mea, hic Gandhi iam ad chilogrammata 38 reductus est.<sup>2</sup> — Uxor (invidet): Valde velim scire, carissime mi, qua cura<sup>3</sup> macrescendi<sup>3</sup> utatur.

5. **Quando bellum finem habebit?** Milites colloquuntur apud ignem castrensem. Miles gregarius<sup>4</sup>: Domine optio,<sup>5</sup> scis-ne quando bellum finem habiturum sit. — Optio: Scio. Illo momento, quo propola<sup>6</sup> Moses aperiet tabernam. — Miles: Quomodo? Cur? — Optio: Ideo, nam cum bellum inceptum est, inscripsit in ianua tabernae: Propter bellum clausa est.

*Adalbertus Ries disc. gymn. Acad. Bp.*

<sup>1</sup> ujság = Zeitung = journal    <sup>2</sup> lefogý = abmagern = maigrir    <sup>3</sup> soványító kúra = Entfettungskur = cure d'amaigrissement    <sup>4</sup> baka = der gemeine Soldat = troupiér    <sup>5</sup> őrmester = Feldwebel = sergent    <sup>6</sup> szatóc = Greibler = mercier



**Vox repercussa.**<sup>1</sup> Duo homines disputant, quis audierit adhuc vocem repercussam aptiorem<sup>2</sup> ad delectandum.<sup>2</sup> «Fui in America — dicit primus — et talem vocem repercussam invēni, ut trēs strophas declamare possem, dum vox repercussa primam repetere inciperet, puriorem et validiorem, quam ego. Si solum unum verbum clamabamus, tum quattuor puncta<sup>3</sup> expectare oportebat, dum vox repercussa adveniret. Ut rērum<sup>4</sup> periti<sup>4</sup> dicunt, nusquam<sup>5</sup> invenire possumus vocem repercussam admirabiliorem.»

— Ego autem fui in civitate Tibet, — narrat alter — ibi est quoddam monasterium,<sup>6</sup> sacerdotum «damarum», cuius incolae vesperi, ante horam octavam in tenebras<sup>7</sup> clamant: «Aurora est, expergiscamini»,<sup>8</sup> et tranquille prōcumbunt. Vox repercussa accuratissime horā sextā repetit verba excitantia,<sup>9</sup> quae vī fragorosā<sup>9</sup> inter montēs strepitant.

— Vicisti! — declarat alter tranquillē.

*Carolus Anheuer* disc. gymn. Acad. Bp.

<sup>1</sup> visszhang = Echo = écho <sup>2</sup> érdekes = interessant = intéressant <sup>3</sup> percig = Minute = minute <sup>4</sup> szakértő = der Sachverständige = expert <sup>5</sup> sehoh = nirgends = nulle part <sup>6</sup> kolostor = Kloster = couvent <sup>7</sup> sötétség = Finsternis = obscurité <sup>8</sup> ébredjétek = erwachen = se réveiller <sup>9</sup> ébresztő = aufwecken = réveiller <sup>10</sup> mennydörgő = donnernd = tonitruant

## De vento, aqua, bona fama.

Tres simul profecti sunt: ventus et aqua et bona fama. Ventus in forma viri irati venit, huc illuc ruit et qua ibat, conturbavit pulverem. Aqua speciem mulieris induit, in manu amphoram<sup>1</sup> magnam tenebat, qua ubique rigabat siccam tellurem et homines languidos.<sup>2</sup> Bona fama formā elegantis iuvenis induta erat, tamen modestus erat. Quamquam omnes tres multum dissimiles erant, tamen consentiebant.

Cum discederent, rogaverunt inter se: «Quando conveniemus, ut iterum simul proficiscamur?» Domina aqua: «Me reperire — inquit — facile potestis apud quodcumque mare, (apud) flumen, apud puteum<sup>3</sup> domuum vestrarum, modo vocate me». — Ventus sic locutus est: «Quocumque tempore vobis adsum; si non salio circum vos, neque ago pulverem itineris in pedes et oculos vestros, invenietis me in summis<sup>4</sup> montibus». — Bona fama nihil dixit. Tacuit. Tum ceteri interrogabant eam: «Iuvenis pulcher! Ubi et quando te iterum videre possumus?» Ille respondit: «Me? Nunquam et nusquam!<sup>5</sup> Qui semel me reliquit, nunquam me reperit».

*Eva Dayka* abituriens thygatrogymn. Ursulinarum Bp.

<sup>1</sup> korsó = Krug = cruche <sup>2</sup> bágyadt = matt = mat  
<sup>3</sup> kút = Brunnen = puits <sup>4</sup> tetején = Gipfel = sommet  
<sup>5</sup> sehoh = nirgends = nulle part

## De Sancto Josepho.


Hoc mense celebrabitur dies festus Sancti Iosephi. Quis Sanctorum et Sanctarum — praeter beatam virginem Mariam — illo maior fuit? Ille erat protector sanctae Mariae et Iesu Christi ipsius. Quis laetior fuit, quam Iosephus et Maria, cum natus est Salvator mundi? Quis magis gavisus<sup>1</sup> est, cum venirent tres magi et donaverunt infantem

auro, myrrha eum adorantes? Paulo post autem iterum metus explevit animum Sancti, cum Angelus annuntiavit Herodem insidiari<sup>2</sup> infanti. Tum fugit cum virgine et cum infante in Aegyptum. Et reversus in terram Iudaeorum educabat usque ad duodecimum vitae annum. Tum duxit eum ad templum Hierosolymorum<sup>3</sup> et ibi remansit filius, dum Iosephus cum Maria eum quaerens in templo Dei invenit. Et Iesus paruit ei. Mors autem Iosephi dulcissima fuit, quia Mariā et Iesu praesentibus vitā decessit. Sic factus est patronus morientium. Legenda autem dicit eum Iesu mortuo<sup>4</sup> resurrexisse<sup>5</sup> et cum eo ad coeli portas ascendisse, quia Evangelium docet hac horā multos mortuos resurrexisse. Ita fideliter orare possumus: «Sancte Iosephe, patrone morientium, ora pro iis!»

*Rich. Schaeffler*

disc. gymn. cath. Ettalensis (Bavaria).

<sup>1</sup> örült = freute sich = être heureux <sup>2</sup> életére tör = nach dem Leben trachten = attenter à la vie de <sup>3</sup> vulgo = Jerusalem <sup>4</sup> post mortem <sup>5</sup> feltámadt = auferstehen = résusciter



Instrumenta bellica: hydroplanus, currus bellicus (= tank), locus munitus «bunker» dictus.



## Preces scholasticae in Hungaria.

Latine reddidit Eug. Fray dr. Bp.

*Preces ante scholam:* «Adiuva nos, quaesumus, Deus Optime, et benedic nobis, ut ardentem et enixam ad studia attendamus animum et in omnibus negotiis sanctae tuae voluntati obsequamur. Ades nobis, ut fidelibus liberis tuis digni valeamus vivere ad utilitatem aliorum et salutem animi nostri gloriamque sancti tui nominis. Amen».

*Preces post scholam:* «Gratias agimus Tibi, Pater Coelestis, quod clementiam tuam hodie quoque in cognitione nostri et mundi tui processimus. Duc nos, quaesumus, etiam diutius in via verae vitae ad bonitatem et beatitudinem. Benedic patriae, Pater Optime, et parentibus magistrisque. Benedic nobis quoque omnibus et da, ut nos quoque in aeternum benedicamus Tibi. Amen.»

### LECTORIBUS MEDIIS

#### Difficile est hodie pecuniam facere.<sup>1</sup>

Scripsit : Zs. Harsányi. Latine reddidit : Ios. Guelfino Bp.

Quidam familiarium meorum, qui munere<sup>2</sup> fungitur,<sup>3</sup> semper id agit animo, quomodo possit pecuniam<sup>4</sup> adventitiam<sup>5</sup> colligere.<sup>1</sup> Res astutissimas<sup>4</sup> excogitat : conciliare<sup>5</sup> laborat casas inter vendentes et emptores ; studet, ut famosissimarum rerum inventores redemptorem<sup>6</sup> habeant — et queritur,<sup>7</sup> quod res evenire<sup>8</sup> nolint. «Nuper quoque deceptus<sup>9</sup> sum, — querebatur — quaestus<sup>10</sup> optimus male<sup>11</sup> successit<sup>11</sup> mihi!»

— Fac audiam, hortor eum.

— Ita inceptum est — narrabat — ut dominicā<sup>12</sup> perlegerem. annunciationes<sup>13</sup> parvas.<sup>13</sup> Ibi enim saepe apparent vestigia, quibus ducibus procedere possumus. Me haec vestigia ad canem quendam duxerunt. Legi scilicet in annunciationibus esse quendam, qui canem<sup>14</sup> boni<sup>14</sup> seminis<sup>14</sup> emere vellet. Venit mihi in mentem amici veteris, qui in regione Lágymányos habitat et iam compluribus studebat mihi catulum<sup>15</sup> ingerere,<sup>16</sup> gratis. Sed ego donum nolui accipere.

Tamen, cum legissem annunciationem, reicere ephemeridem,<sup>16</sup> amictum<sup>17</sup> induere et regionem Lágymányos cursu petere : eiusdem temporis erat. Casu autem accidit, ut amicus meus non esset domi. Excursionem<sup>18</sup> fecit rus. Epistolam ergo reliqui : me ibi fuisse, rē iterum deliberatā,<sup>19</sup> canem velle, et cras asportandi causā venturum me esse. Domi autem res non sivit me quiescere. Annunciationes parvae enim a plurimis leguntur, verisimile igitur mihi videbatur canes in locum ibi indicatum centuriatim<sup>20</sup> apportari. Et cras, cum canem apportabo, forsitan iam non erit<sup>21</sup> opus<sup>21</sup> eo. Di<sup>22</sup> eradicent<sup>22</sup> omnes amicos, qui dominicā excursionem faciunt. Vespere iam adeo inquietum reddidit me res, ut adirem domicilium in annunciatione parva publicatum. Insula<sup>23</sup> maxima erat in via «Mester». Tintinnabulo<sup>24</sup> accessivi<sup>24</sup> insularium.<sup>25</sup> Et maxima cum admiratione cognovi virum iam diu mihi notum :<sup>26</sup> Nemcsik.

— Tu es ille Nemcsik? interrogavi.

— Equidem ego sum, domine doctor. Quid boni quaeris in hac regione?

— Nil aliud, care Nemcsik, nisi emeritne iam canem incola ille contignationis<sup>27</sup> quintae.

— Nondum emit.

— Sed, ut opinor, iam plurimi allati sunt.

— Plurimi. Totum per diem ascensore<sup>28</sup> tuli eos.

— Optime. Hoc scire volui.

Insularius, cur, cur non, male<sup>29</sup> affectus<sup>29</sup> esse videbatur. Certe propter multum laboris. Ego autem laetus redii domum.

Mane surrexi horā quintā. Post sextam iam in regione Lágymányos eram et familiaris lecto<sup>30</sup> excussus,<sup>31</sup> oculis somno gravibus nequaquam intelligere poterat, quis et cur tali tempore posceret canem, quem quia nec ferriviā<sup>32</sup> electricā,<sup>32</sup> nec autocarro<sup>33</sup> communi<sup>33</sup> vehere licet, taxametro<sup>34</sup> portavi et septimā hora iam in via-Mester eram cum cane : «Fer me sursum — dixi insulario — in quintam contignationem. Forsitan fortuna<sup>35</sup> utar<sup>35</sup> in cane vendendo. Et negotio<sup>36</sup> bene confecto<sup>36</sup> tu quoque habebis munusculum.<sup>37</sup>»

Insularius autem iterum, male affectus erat, aequae ac vespere hesterno. Haesitabat<sup>38</sup> et denique : «Domine doctor, tu semper favebas mihi. Nolim te decipere. Noli in quintam contignationem ascendere.»

— Cur non ascendam?

— Ibi enim nullus emitur canis.

— Sed nonne tu heri dixisti canem adhuc nullum emptum esse?

— Non est emptus, neque emetur. Ibi, quaeso, officialis<sup>39</sup> quidam remotus<sup>40</sup> habitat. Illi non est in animo canem emere. Vix, quid edat, habet, nedum<sup>41</sup> canem boni seminis emat.

— Quid igitur sibi vult annuatio parva?

Insularius tunc se ad me propius flectens : «Confiteor tibi, domine doctor : in duas partes dividimus mercedem<sup>42</sup> ascensoris.<sup>42</sup> Adhuc usque 73 pannonae venerunt canem vendituri. Solverunt pengones 7.30. Ex hoc mihi 3.65 obvenerunt.

<sup>1</sup> keresni = verdienen = gagner    <sup>2</sup> tisztviselő = Beamter = fonctionnaire    <sup>3</sup> mellékkereset = Nebenverdienst = gain supplémentaire, un à-côté    <sup>4</sup> ravasz = schlau = rusé    <sup>5</sup> közvetít = vermitteln = faire l'intermédiaire    <sup>6</sup> vállalkozó = Unternehmer = entrepreneur    <sup>7</sup> panaszkodik = sich beklagen = se plaindre    <sup>8</sup> sikerül = gelingen = réussir    <sup>9</sup> becsap = täuschen = tromper    <sup>10</sup> kereset = Verdienst = affaire (lucrative)    <sup>11</sup> rosszul üt ki = mißlingen = mal réussir    <sup>12</sup> vasárnap = Sonntag = dimanche    <sup>13</sup> apróhirdetés = Inserat, Anzeige = petites annonces    <sup>14</sup> fajkutyá = Rassehund = chien de race    <sup>15</sup> kutyakölyök = junger Hund = jeune chien    <sup>16</sup> rászól = aufnötigen = enfler    <sup>17</sup> újság = Zeitung = journal    <sup>18</sup> kabát = Rock = manteau    <sup>19</sup> kirándulás = Ausflug = excursion    <sup>20</sup> meggondolja magát = überlegen = se raviser    <sup>21</sup> (catervatim) csapatostul = scharenweise = en masse    <sup>22</sup> lesz szükség rá = brauchen = on n'en aura plus besoin    <sup>23</sup> ördög vigyen el = der Teufel soll holen = que le diable emporte    <sup>24</sup> bérház = Miethaus = immeuble    <sup>25</sup> kicsenget = jmdem klingeln = sonner qu'on    <sup>26</sup> házmester = Hausmeister = concierge    <sup>27</sup> ismerős = Bekannter = connaissance    <sup>28</sup> emelet = Stock = étage    <sup>29</sup> lift = Fahrstuhl = ascenseur    <sup>30</sup> rosszkedvű = ungehalten = de mauvaise humeur    <sup>31</sup> ágy = Bett = lit    <sup>32</sup> kihúz = hinaustreiben = tirer    <sup>33</sup> villamos = die Elektrische = tram    <sup>34</sup> vulgo : autobus    <sup>35</sup> autotaxi = Kraftdroschke = taxi    <sup>36</sup> szerencsém lesz = Glück haben = avoir de la chance    <sup>37</sup> üzletet lebonyolít = ein Geschäft abmachen = conclure une affaire    <sup>38</sup> borraló = Trinkgeld = pourboire    <sup>39</sup> tétováz = unschlüssig sein = hésiter    <sup>40</sup> kishivatalnok = untergeordneter Beamte = petit employé    <sup>41</sup> B-listás = abgebaut = congédié    <sup>42</sup> nemhogy = geschweige denn = comment (achèterait-il)    <sup>43</sup> liftpénz = Fahrstuhltaxe = l'argent perçu pour l'emploi de l'ascenseur



Tuos autem decem centesimos accipere nolo. Noli ascendere!»

Interim autem tres iam aderant ascensorem expectantes. Omnes cum canibus. Insularius ad ascensorem iturus: «Aliquid quaestus etiam hodie ostenditur» — susurravit mihi in aures.

## Quomodo Romani merces commendationibus pervulgaverint? (7)

Ex periodico «Tükör» intitulo. Scripsit I. Révai, convertit Aem. Láng Keszthelyensis.

Alia inscriptio per occasionem facta:

«Urna aenea pereit<sup>46</sup> de taberna, seiquis<sup>46</sup> rettulerit, dabuntur HS<sup>47</sup> LXV; sei furem dabit...» (quae sequuntur, legi iam non possunt).

Umbricius Scaurus salsamentarius<sup>48</sup> inter alia in vasculis fictilibus suo nomine signatis garum<sup>49</sup> et muriam<sup>49</sup> vendebat. Garum erat liquamen scombrorum, muria autem thynnorum,<sup>50</sup> illud fuit divitum, hoc pauperum. Merx titulo vasculis affixo sic commendabatur: «Liquamen optimum» vel «Flos<sup>51</sup> gari» vel «Garum, flos<sup>51</sup> scombri<sup>51</sup> Scauri ab Eutyche Scauri». Cum Pompeiis Iudaei frequentes erant, Callidus Scaurus liquamina castimonialia,<sup>52</sup> quae teste Plinio Iudaei peculiari modo — e piscibus squama carentibus — fuerunt praeparata, in fictilibus specialibus vendebat cum titulis: garum castum;<sup>53</sup> muria casta.

Multae inscriptiones commendant cauponas. Huiusmodi sunt: «Hospitium hic locatur, triclinium cum tribus lectis». Super hanc inscriptionem elephantus, serpente circumplexus absque pygmaeo<sup>54</sup> custoditus, fuit depictus cum ascriptione: «Sittius restituit Elephantu(m)». Nam Sittius fuit possessor hospitii «ad Elephantum» intitolati. Fuerunt et hospitia ad aquilam, ad gallum gallinaceum, ad dracones etc.

Copa quaedam nomine Hedone, his versibus invitat hospites:

«Assibus hic bibitur, dipundium<sup>55</sup> si dederis, meliora bibes,  
quattor si dederis, vina Falerna bibes.

Ad huiusmodi commendationem respondet quidam hilaris hospes his verbis in pariete graphio incisis:

«Talia te fallant utinam mendacia, copo,<sup>56</sup>  
Tu vendes aquam et bibis ipse merum».

Pompeis permultae fuerunt tabernae<sup>57</sup> cauponiae.<sup>57</sup> Quem non fugit quantopere abundet moderna Italia tabernis liquorum nunc «bar» dictis, in quibus coffea et omnigena liquidia veneunt,<sup>58</sup> ille non mirabitur etiam homines antiquos has tabernas semper amasse, quae omni ex parte modernis simillimae fuerint. Quae imprimis tempore magistratus municipales creandi frequentabantur. Pompeiis magistratus quotannis creabantur, itaque propter diuturnitatem certaminum factionum magna vis inscriptionum ad creandos magistratus spectant. Circa MDCCC inscriptiones centum candidatos commendant. Exempla gratia: «Herenium Celsum aed. o. v. f.»<sup>59</sup> Inter inscriptiones nomina Lollii et Holconii\* saepissime leguntur. Plurimis commendationibus etiam nomina commendatorum adduntur: C. Cuspium Pansam aed(ilem) aurifices universi rog(ant.), vel: Ti. Claudium Varum II vir. (= duumvirum) vicini

rogant, vel: C. Gavium Rufum II vir. o. v. f. utilem r. p. (= rei publicae), Vesonius Primus rogat. Trebium aedilem commendant tonsores, Varum unguentarii, Holconium pomarii. Offectores,<sup>60</sup> sagarii,<sup>60</sup> saccarii,<sup>60</sup> piscicapi, muliones alique suos candidatos commendant. Fit, ut commendator se mutuum officium praestaturum esse polliceatur: «Procule, fac Sabinum aedilem et ille te faciet». Nonnunquam commendationes etiam quadam hilaritate conspersae sunt. E. g. Vatiam aed(ilem) furunculi<sup>61</sup> rog(ant); altera inscriptione eundem dormientes universi et scribibi<sup>62</sup> universi rogant.

Nobis insolitum esse videtur, quod pictores inscriptionum novas commendationes supra veteres pinxerunt; satis erat colore magis florido uti, ut tempestiva promulgata homines noscerent. Commendationes candidatorum maioribus litteris fuerunt pictae. Aemilius Celer sub quadam commendationem gladiatorum suum quoque nomen appinxit: «Pinxit Aemilius Celer, solus ad lunam».<sup>63</sup>

Exposui vobis, lectores dilectissimi, quibus modis antiqui res suas commendaverint atque



Lectores et collaboratores nostri Kaatsheuvelienses in Hollandia. (Pag. 82.)

promulgaverint ea, quae incolis cognoscenda essent. Si Siricus, magister civium Pompeiorum et Nummianus, senator municipalis — iidem aliquando mercatores — ex somnis aeternis reviviscerent et modernam commendandi rationem cognoscerent, admiratione verisimiliter ita percellerentur, ut vox faucibus eorum haereret. At quis dicat, quantos progressus adhuc mens humana saeculis volventibus faciat!?

Finis.

<sup>46</sup> ei = i <sup>47</sup> nota IIS vel HS sestertium significat, qui idem valet ac semis tertius (unde nomen habet): 2½ assium  
<sup>48</sup> sóshalárus = Salzfishhändler = marchand de poissons salés <sup>49</sup> halmártás = Fischeauce = saumure <sup>50</sup> Tonhal = Thunfisch = thon <sup>51</sup> legfinomabb (scombermártás) = feinste (Scomberbrüte) = la meilleure (sauce aux maquereaux <sup>52</sup> böjti = Fasten = en maigre <sup>53</sup> kóser = Koscher = pur, kascher <sup>54</sup> Pygmaei fuerunt minutum genus fabulosum: mesés törpe népség = fabelhaftes Zwerggeschlecht = peuplade fabuleuse de nains <sup>55</sup> duo asses <sup>56</sup> caupo <sup>57</sup> italmérés = Schankbude = cabaret, bistrot <sup>58</sup> venduntur <sup>59</sup> aedilem oro vos facite \* vide imaginem: pag. 5., fasc. I. (m. Sept.) <sup>60</sup> kelmefestő, köpenykészítő, szállító munkások = Färber, Mantelschneider, Packträger = teinturier, tailleur pour manteaux, porte-faix <sup>61</sup> csirkefogó = Spitzbube = fripon <sup>62</sup> tivornyázó = Spätzcher = noceur <sup>63</sup> holdvilágnál = bei Mondschein = au clair de lune



## Phantasia Scotica.

Latine reddidit *Alad. Kővári* Kaposváriensis.

Parcamus pecuniae: saepe admonemur nunc. Sed non ita, ut nummos sepositos ordine recomadamus et in arca<sup>1</sup> includamus, sed ut erogemus<sup>2</sup> potius, vicissim investiamus fructusque feramus.

Factis suis huius contrariis famam sibi per totum mundum divulgatam conflaverat dominus Iohn Elwes, unus e baronibus Anglorum — ut ipsi se nominari iubent: Britannorum — sodalisque coetus publici (vulgo: parlamenti). Cum anno 1789 moreretur, fama sordium<sup>3</sup> eius omnia mundi acta<sup>4</sup> diurna<sup>4</sup> pervagabatur. Erat ille dives horribili modo. Res eius 400.000 librarum sterlingarum aestimabantur; ingens summa, si vim empricem pecuniae illorum temporum respicimus. Verum adeo pecuniae pepercerat, ut ne perones<sup>5</sup> quidem suos purgari passus sit, ne detererentur. Felicissima dierum eius erat illa, qua in canali triviali capillamentum<sup>6</sup> obsoletum invenit a mendicorum quodam deiectum. Assumpsit et abhinc hoc gerebat. Novum vestitum nunquam sibi faciendum curavit et semper eodem indutus in generalem regni congregationem incessit, ita, ut collegae eius magna cum laude dictarent: «Huncine virum, qui nunquam colorem mutaret!»

Raedam<sup>8</sup> conducticium<sup>8</sup> nunquam conscendebat, quovis modo imber rueret; permaduit<sup>9</sup> potius usque ad cutem et plures horas domi sessitabat, dum vestimentum udum exsiccaretur. Neque enim obliviscendum est: conclavia<sup>10</sup> sua — quantum potuit — nunquam calefieri<sup>11</sup> iussit. Si revisenti quoddam castellorum suorum rusticorum tantum iam frigus erat, ut revera calefaciendum in camino esset, ramenta<sup>12</sup> lignea cum stipulis<sup>12</sup> et ossibus colligi iussit eisque accensis frigus dissolvit. Vicinus quondam deprendit eum id agentem, ut nidum cornicis<sup>13</sup> hirsutum<sup>14</sup> arbore revelleret. «Turpe est — explicavit baro probus — ut hae cornices nidum facientes materiem absumant. Parciores esse debent.»

Ab altero praedio in alterum proficiscens non essedo<sup>15</sup> usus est, quoniam ad hoc pluribus equis opus erat. Diem potius totum in ephippio<sup>16</sup> peragebat in sinu portans cibum totius diei: duo ova dure cocta cum paniculo. Equitans — quantum poterat — caespitem<sup>17</sup> petebat, ne ungulae equi detererentur. Vias angustas et saepibus cinctas pedetentim permensus est, ut caballus interea herbas faeni<sup>18</sup> hic et illic adhaesi depasceret.

Maxime impensas medicinae horrebat. Olim tamen medico indiguit. Assuetus e coetu publico nocturno pedibus domum ire in tenebris se cuidam vehiculo inferens ambos pedes sibi contudit.<sup>19</sup> Adgnatus quidam cruciatus eius aspicere nolens medicum vocavit. Dominus Iohn multis verbis persuasus decedens aliquantum a moribus suis medicum admisit. Sed ut saltem<sup>20</sup> dimidio mercedis parceret, alterum pedem curandum medico commisit, alterum naturae reparandum reliquit. Et quid fit? Pes eius a medico curatus 4 septimanis post sanatus est, quam alter, qui non curabatur.

<sup>1</sup> pénzesláda = Geldkiste = coffe-fort <sup>2</sup> kiad = ausgeben = dépenser <sup>3</sup> zsgoróság = Knauserei = avarice  
<sup>4</sup> napisajtó = Tagespresse = presse quotidienne <sup>5</sup> csizma = Stiefel = botte <sup>6</sup> paróka = Perücke = perruque <sup>7</sup> fakó = fahl = déteint <sup>8</sup> bérkocsi = Lohnkutsche = fiacre <sup>9</sup> bõrig ázik = durch und durch naß werden = être trempé jusqu'aux os <sup>10</sup> szoba = Zimmer = chambre <sup>11</sup> fût = heizen = chauffer <sup>12</sup> rözse, szalma = Reisholz, Stroh = sarment, paille <sup>13</sup> varjú = Krähe = corneille <sup>14</sup> kócos = struppig = hérissé <sup>15</sup> utazókocsi = Reisewagen = voiture <sup>16</sup> lótarakó = Reitdecke = couverture de cheval <sup>17</sup> gyp = Rasen = gazon <sup>18</sup> széna = Heu = foin <sup>19</sup> zúzódás érte = erlitt Quetschungen = il eut des contusions <sup>20</sup> legalább = wenigstens = au moins

## De morte speculatoris<sup>1</sup>.

Libere atque brevius Latine reddidit: *Soror M. Anna Bencze* I. B. M. v. prof. thygatrogymnasii Aegopolitani.

P. Martialis Lekeux illustrissimus Fratrum Minorum sodalis, nunc in quodam conventu Bruxellensi vitam apostolicam agit, postquam in bello gentium tormentariorum<sup>2</sup> succenturio<sup>3</sup> eximia cum virtute optime de patria defendenda meruit. In libro suo, cui «Claustra mea in tempestate» inscribitur, nos de casibus auditu terribilibus, sed mira quadam magnanimitate gestis certiores reddit, flagrantemque amorem patriae Belgarum nobis aeterno exemplo proponit.

Erhardus centurio subsidiarius<sup>3</sup> in oppido Ostenda in crimine explorationis deprensus est. Cras producetur. Curru automobili captivis destinato vectus atque a custodibus<sup>4</sup> publicae<sup>4</sup> securitatis<sup>4</sup>

<sup>1</sup> kém = Späher = espion <sup>2</sup> tüzérhadnagy = Artillerie-leutnant = sous-lieutenant d'artillerie <sup>3</sup> tartalékos = Reserve = de réserve <sup>4</sup> csendör = Gendarm = gendarme



Discipuli Kelmenses: 1. ad lacum Zaresai in parte «Helvetica» Lituaniae, 2. ante pulcherrimam Lituaniae ecclesiam Rokiskis. (Pag. 82.)



diligentissime custoditus intrat hypogeum.<sup>5</sup> Deinde extrahitur speculator. Homo brevis<sup>6</sup> et obesus,<sup>6</sup> capite petasum mollem gerens, colore cineraceo vestitus apparet, cuius mystax<sup>7</sup> tonsa in rotunda exsanguine facie animum promptum prodit. Aspectu cineraceo oculis rebus suis diffidentes in oculis defigit eorum, a quibus spectandi avidissimis circumdatur, atque observatur. In carcerem clausus mihi mandatus est, quem tuerer. Certiorem feci eum praeceptorum, ad quae immobilis ore compresso animum attendit. Fieri non potuit, quin aspectum meum relinqueret.

«Litteras<sup>8</sup> gratiarum<sup>8</sup> supplices<sup>8</sup> dedi, et scire velim» dixit. — «Participem te faciam omnium communicandorum» — respondi. — «Bene.»

Dimidio horae post inveni eum carcerem longis passibus metientem. «Cuidam scribere velim...» dixit.

— Bene, sed ignoscas mihi, si scire debeo, quae scripseris.

— Ah! non est satis vobis me totum manibus vestris teneri? — Cacchinum<sup>9</sup> tollit<sup>9</sup> raucā voce, ira inopi commotus.

— Mi centurio! re tuā adversā minime volo abuti, tantum praeceptis, quibus teneor, oboedio.

— Certe — inquit subito reconciliatus — cum res ita se habeat, assentior, sed intellege me uxori meae ultimam epistolam scripturum esse.

— Uxori!... Ecce... non iam hostis esse videtur, quem praesentem specto, homo est. Genā<sup>10</sup> omnino mutata est, ita, ut iam nonnisi vultum placidissimi civis contemplerer. Velut si quem obtestaretur<sup>11</sup> hic vultus.

Uxorem habet, paterfamilias est... «Habesne etiam liberos?»

— Duas filiolas, — inquit, cum aliquid singultui<sup>12</sup> simile gutture absorbuisset.

Vultus eius pallidus rigescit. Videri potuit, qua vi laborandum ei esset, ut sui potens maneret. Deinde assā<sup>13</sup> voce addit: «haec est vita: uni hymnus, alteri execratio».<sup>14</sup>

Recedo, ne commoveri videar. Interim animarum pastor Lutheranus apparet, qui mandata regularia ab imperio habet. Captivum coenam<sup>15</sup> Domini<sup>15</sup> celebrandam desiderare affirmavit. Introduxi eum.

«Potesne iubere — interrogat — vinum ferri ad caerimoniam?» Cum vino careremus, bicyclistam in pagum misi, ut emeret.

Exspectans servus Dei assedit apud captivum. In angulo me recondidi.

Senex staturā grandis, dorso paulisper flexo, capillis canis erat, ita ut patriarcha quidam venerabilis veteris testamenti, nigro mantello hodiernae aetatis amictus esse videretur. Lente loquebatur, voce gravi atque submissā, prophetaeque gestibus utebatur. Copiose colloquebatur cum condemnato, sermoni saepe sententias Scripturae Sacrae intexens, cui ille semper atque immutabiliter parvo quodam capitis nutu<sup>16</sup> assentiebatur.

Colloquio finito Erhardus prompsit ex sinu papyrus, ut de familia sua pastorem consuleret, cui negotia sua relicta administranda committeret.

Bicyclista meus revertitur. Incipit coena Domini. Pro altari mensa adipata,<sup>17</sup> pro templo carcere sinistro<sup>18</sup> utuntur, ubi ex fornice lymphā<sup>19</sup> manat. Lucerna, quae inter clathros<sup>20</sup> avarum lumen colat,<sup>21</sup> arte eximiā celat lineamenta Erhardi et pastoris. Ritus aliquid augustissimi in se habet, quod alte in pectus humanum descendit: hoc est viaticum. Erhardus, tamquam sine mente ac ratione sequitur gestus rituum celebrantis, fronte<sup>22</sup> contracta.<sup>22</sup> Donec unā adorant Deum suum, qui est



Pittacia Lituaniae a discipulis Kelmensibus et a prof. Nowowiejski Vilnensi missa. Series laeva: 15 c. rubrum; 30 c. viride; 60 c. violaceum; 1 l. rubrum; series dextera: 30 + 10 c. caeruleum; 10 c. cervini coloris; 5. c. viride.

etiam Deus meus, ego quoque cum ambobus et pro ambobus pias preces fundo, ex intimo corde, oro pro speculatore, pro fratre meo, qui morietur, pro uxore, duabusque filiolabus eius. Pastor valedicit.

*Continuabitur.*

<sup>5</sup> alagsor = Keller = sous-sol <sup>6</sup> zömök = untersetzt = trapu <sup>7</sup> bajusz = Schnurbart = moustache <sup>8</sup> kegyelmi kérvény = Gnadengesuch = recours en grâce <sup>9</sup> felkacag = laut auflachen = éclater de rire <sup>10</sup> arc = Wange = joue <sup>11</sup> könyörög = anflehen = supplier <sup>12</sup> zokogás = Schluchzen = sanglot <sup>13</sup> szintelen = farblos = décoloré <sup>14</sup> átok = Fluch = malédiction <sup>15</sup> Úrvacsora = das heilige Abendmal = cène <sup>16</sup> fejbólintás = Kopfnicken = acquiescer de la tête <sup>17</sup> zsíros = fettig = gras <sup>18</sup> infelix <sup>19</sup> aqua <sup>20</sup> rács = Gitter = grille <sup>21</sup> szúr = seihen = filtrer <sup>22</sup> összeráncolt homlokka = die Stirne runzeln = en fronçant les sourcils

## Certamen corrigendi.

Ad novum certamen corrigendi discipulos invitamus. Qui hanc narratiunculam mendosam ab lectore quodam edendi causa ad moderatorem missam optime correxerit, praemio ornabitur (terminus: Calendae Juniae):

«Abrahamus Lincoln, princeps popularissimus Unionis, ex familia simplici ortus est. Magister




eius, qui etiam serenitatem corporatam discipulorum exploravit, semel manus suas monstrare iussit. Abrahamus nebulo parvus manum sinistram in sinu braciae adhuc detersit et lente ostendit. Magister ad aspectum valde trepidatus est, quia manum tale sordidum non vidit. Deinde severe dixit: «Si in hac schola tantum unam manum monstrare potest, quae ista impurior est, ictus decem baculi concedo». Abrahamus non dubitavit, nisi manum dexterum aequo animo pro magistro porrexit. Haec altera squalidior erat. In principio visum est, velut si magister in lapidem mutatus esset, sed deinde cum classe tota in risu prorupit. Itaque heros genticus Unionis a supplicio effugit».

V. Gombár Novopestinis.



Bellum ab Anglis Gallis Germanisque terrā et in aëre languide geritur, solum naves maritimae aut expoliatae aut submersae ostendunt iram odiumque horum populorum. Eo atrocius pugnatur in Finnia, ubi Russi armis partim obsoletis<sup>1</sup> partim recentissime inventis utuntur. Quia Finni peritissimi sunt usūs sclopetorum<sup>2</sup> automatorum, Russi magnis scutis ferreis ad depellendas glandes<sup>3</sup> aptis tecti impetum faciunt. Novissime etiam traheis<sup>4</sup>



1. Pyrobolus s. Fajna integer.

2. Pyrobolus displosus.

per glaciem lacuum et maris vehuntur machinis<sup>5</sup> sclopetariis<sup>5</sup> armati. Quamquam singulis Finnis contra 50 hostes pugnandum est, Russi ne dimidium quidem «linitis Mannerheimiani» occupaverunt et nunc oppidum Viipuri, «arcem sanctam» Finniae, ante bellum ab 80 milibus incolarum habitatum, nunc autem iam plane dirutum summa vi oppugnant. Miseremur etiam immensae multitudinis Russorum, nam ii quoque homines sunt, qui a dominis suis hostibus<sup>6</sup> trucidandi<sup>6</sup> obiecti<sup>6</sup>

cedidere. Sed quanto magis miseranda est gens nobilis Finnorum, fratrum nostrorum, quorum uxores liberique in viis publicis, in campis, quin etiam in urbibus pyrobolis<sup>7</sup> aëroplanorum humiliter volantium interficiuntur. Quia in Finnia domus non lapideae, sed lignae aedificantur, pyrobolorum recentissimum genus, quod iocose «panis Molotovii» nominatur, inventum est. Hi pyroboli pleni sunt multorum parvorum globorum incendiariorum,<sup>8</sup> qui pyrobolo disploso exsistentes incendio vastant omnes domos. Quare milia liberorum Finnorum iam hospitio Suecorum, Norvegorum et Danorum uti coguntur. Multi discipuli<sup>9</sup> in Hungaria mercedem, quam nives<sup>9</sup> batillo<sup>9</sup> converrentes<sup>9</sup> meruerunt, Finnis miserunt, quos iam milites voluntarii quoque adjuvant.

**Nuntii varii breviores.** *Sven Hedin* investigator<sup>10</sup> ille Asiae clarissimus anno vitae 75-o, *Franciscus Lehár* auctor musicus Hungaricus anno 70-o expleto ab amicis admiratoribusque celebrati sunt. — Praeter bellum natura vexat et extirpat homines. Nam hisce 70 annis, qui proximi praeterierunt, nunquam tanta vis frigoris sentiebatur, quam nunc. Multi frigore perierunt, et nunc timendum est, ne sata autumnalia et arbores pomiferae gelu<sup>11</sup> perustae<sup>11</sup> sint, quod si revera factum est, aestate propter caritatem annonae duplici studio orabimus: «Panem nostrum quotidianum da nobis hodie!»

<sup>1</sup> elavult = veraltet = obsolete    <sup>2</sup> puska = Gewehr, Flinte = fusil    <sup>3</sup> golyó = Kugel = balle    <sup>4</sup> szán = Schlitte = traîneau    <sup>5</sup> géppuska = Maschinengewehr = mitrail-leuse    <sup>6</sup> vágóhídra viz = zur Schlachtbank führen = mener à la boucherie    <sup>7</sup> vulgo: bomba    <sup>8</sup> gyújtó bomba = Zündbombe = bombe incendiaire    <sup>9</sup> hólapátolással = Schnee schaufeln = enlever la neige    <sup>10</sup> kutató = Forscher = investigateur    <sup>11</sup> elfagy = erfrieren = être détruit par les gels

## De Finnia.

Scriptis: L. Markó: O. S. B. — Pannonhalma.

Haec gens fraterna fortis et libertatis amans est. Historia Finniae plena est patientiae, tormentorum, sed fortitudinis et perseverantiae quoque. Iam anno 1249 in potestatem Suecorum venit. Interdum et Russi frequenter in Finnia populabantur, rati sic potestati Sueciae damna<sup>1</sup> inferre.<sup>1</sup> Bellum cum Russis saec. XVI 25 per annos gerebatur. (1570—1595). Anno 1808 bello inter Sueciam et Russiam coorto, Suecia, postquam Finni soli sine auxilio Russos expellere non potuerunt, Finnam pace compositā Haminaënsi Russiae concessit. Sic munimentum orientale clipeusque sanguine roratus<sup>2</sup> imperii Sueci in potestatem Russiae venit (a. 1809). Alexander I., imperator Russorum, magna cum benevolentia Finnis auxilium dabat. Caput provinciae Helsinki ornando urbem pulcherrimam fecit, verba Arvidssonii locum proverbii<sup>3</sup> obtinuerunt: «Ruotsalaisia emme enää ole, venäläisiksi emme voi tulla, olkamme siis suomalaisia!» (Sveci iam non sumus, Russi esse non possumus, ergo simus Finni!). Alexandro I.-o mortuo Nicolaus I. et II. Finnos omni vi opprimebant, sed gens tenax magna cum spe libertatem exspectabat. Anno 1917, a. d. VII. Id. Dec. in Russia pertur-

<sup>1</sup> kárt okoz = Schaden zufügen = causer des dommages  
<sup>2</sup> harmatos = betaut = trempé    <sup>3</sup> közmondássá válik = zum Sprichwort werden = devenir proverbial



batione<sup>4</sup> factā conventus generalis Finno- rum eodem anno a. d. VIII. Id. Ian. libertatem Finniae edixit.

Quamvis haec natio multa passa esset, in literaturā, artibus, scientiisque multa magna- que protulit. «Pater litteraturae Finniae: *Nicolaus Agricola* (in saec. XVI.), episcopus Turkuensis est, qui Novum Testamentum Finne reddidit. *Runeberg* ex bello Russo (1808—9) historias scripsit, quae inscribuntur «*Fänrik Stals sägner*» (id est «*Fabulae signiferi Stal*). Hoc opusculum apotheosis est gloriae perpe- sionumque<sup>5</sup> Finno- rum. Nomen maximum est in litteraturā Finniae *Alexius Kivi*. Ex origine humillima ad gradum altissimum inter inedia-<sup>6</sup> frigora- que patiens ascendit, ut aetate iuventutis immatura morte concideret. Liber clarissimus eius, qui inscribitur «*Seitsemän veljestä*» (Septem fratres), multis linguis redditus est. Hodie scriptor Finnus clarissimus, *Sillanpää* excellit, qui et praemium Nobelianum accepit pro libro, qui inscribitur «*Nuorena nukkunut*» (Adolescens mortuus est). In arte poëtica maxime *Leino Eino* cognoscitur.

Ex litteraturā Finniae relinquere non possumus nomen viri clarissimi, *E. Lönnrot*, qui carmen heroicum Finno- rum (Kalevala) magna cum diligentiā collegit conscripsitque. Hoc opus Finno- rum ad linguam suam amandam pretiaque nationalia investiganda incitavit. Effectus eius et in pictura musicaque hodie quoque ostenditur. In pictura toto orbe nomen *Gallen-Kallela Akseli*, quem Kalevala inspiravit (Querela cumbae,<sup>7</sup> Interfector Fratris etc.) cognitum est. In musica maxime excellit *Sibelius*, qui simili modo ex Kalevala multa hausit.

In litore maris ad Helsinki est statua sculptoris Styggellinii naufragos repraesentans. Haec statua auxilium petens ad Europam se convertit. Nunc, temporibus tam gravibus Finni trementes oculos ad Europam vertentes vultus auxilium laturos expectant et historiam, litteraturam, artes scientiasque ostentando libertatem bene meritam postulant. Nos quidem Hungari sentimus hanc gentem fraternam et eam humanissimam libertate maxime dignam esse...

<sup>4</sup> forradalom = Revolution  
= révolution <sup>5</sup> szenvedés =  
Leiden = souffrances <sup>6</sup> koplalás = Hungern = famine <sup>7</sup> csónak = Kahn = canot

## Quid de pellicula sciendum sit. (6)

Scripsit *Ladislaus Javorik* disc.  
Keszthelyiensis.

Cum igitur pellicula devolvitur, hic clavus<sup>1</sup> in loco, qui voci convenit, per- luecet. Color ergo iam in lucem est transformatus. Nunc lumen in fluidum electricum cellulā photoelectricā transformatur, quae est globus vitreus gaso nobili [re-

pletus cathodo et anodo instructus. Materia cathodi calium aut caesium est, quod argen- tum vivum combiberat.<sup>2</sup> Haec tot minimas partes fluidi electrici (vulgo: electron) emittit, quanta est magnitudo eam tangentis luminis. Intensitas igitur fluidi electrici, per cellulam photoelectricam ducti tanta est, quanta magnitudo luminis, et sic oscillatio vocis. Fluidum electricum pronuntiatore<sup>3</sup> iterum in vocem transformatur.

Dicendum est mihi praeterea de pellicula colorata quoque, sed satis esse puto solum formam perfectissimam describere. Omnes scimus vitra colorata colores, qui ab eis quoque emitti possint, absorbere. Machina taeniam coloratam pelliculans discrepat a machina ordinaria, nam prisma (vitrum radios lucis dispergens) tres imagines facit in taenia, unam inferiore loco, quam alteram. Ante picturam primam vitrum rubrum, ante secundam gilvum,<sup>4</sup> ante tertiam caeruleum est (colores enim naturae ex his coloribus sunt compositi!) Quod igitur in obiecto rubrum erat, in pictura primae taeniae album, in aliis nigrum erit. Quod in obiecto gilvum, in pictura secundae taeniae album et in aliis est nigrum, etc... Deinde picturae vitro eundem colorem habenti paratae in eandem pelliculam effinguntur. Taenia vitro rubro parata<sup>5</sup> rubro, altera gilvo, et tertia caeruleo colore pingitur. Nunc materia colorata trium taeniarum in una taenia ponitur. Cum haec taenia devolvitur, colores necessariae oriuntur. Cuncti enim stratus<sup>6</sup> tantum loco apto et tantum colorem aptum emittunt. Sed colores naturae non possunt perfecte proferri, itaque pellicula colorata tantum in pelliculis delineatoriis<sup>7</sup> et recognitoriis<sup>7</sup> usitatur.

*Continuabitur.*

<sup>1</sup> sáv = Streif = bande <sup>2</sup> vulgo: amalgam <sup>3</sup> hang-  
szóró = Lautsprecher = haut-parleur <sup>4</sup> sárga = gelb =  
jaune <sup>5</sup> réteg = Schicht = couche <sup>6</sup> rajzfilm = Trick-  
film = dessins animés <sup>7</sup> vulgo: revue



Scena ex pellicula delineatoria «*Puella nivea*» et pumiliones.



Al. Petöfi:

*Quam magn(a) est rerum<sup>1</sup> natura<sup>1</sup>...*

*Quam magn(a) est rerum natura,  
Tu, puell(a), es tam pusilla;<sup>2</sup>  
Sed si te possideam, do  
Ipsam te nunquam pro mundo.*

*Es tu dies, nox ego sum  
Plenissima tenebrarum;  
Si iungantur nostra corda,  
Oriatur m(i) eos<sup>3</sup> pulchra.*

*Ne spectes me, tu(i) oculi  
Animam concremant mihi!  
Tamen quod a te non amor,  
Comburatur hoc orbem cor!*

Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis.

<sup>1</sup> mundus, universum <sup>2</sup> parva <sup>3</sup> aurora

## Commercium epistolare.

Amicis «Iuventutis» quoviscumque loco degentibus.


Carissimi!

Lectores «Iuventutis» iam saepe nomina in venisse discipulorum Kaatsheuvelensium verisimile est. Forsan et hos novisse iuvabit! In imagine<sup>1</sup> luce<sup>1</sup> picta<sup>1</sup> videtis discipulos sextae classis. Omnes sunt amici «Iuventutis.» Etiam ceterarum classium discipuli ephemeridem libenter legunt aut legere gestiunt. Nos, «sextani», sex fere annos egimus in Schola Apostolica Congregationis Missionariorum a Sancta Familia (M. S. F.) in Kaatsheuvel.

Sunt anni 25, cum schola nostra, Sancto Antonio Patavino dedicata, inaugurata est. Die 28 mensis Aprilis grato animo celebrabimus hosce 25 annos in Dei nomine feliciter expletos. Dignum et iustum erit nos gaudere omnes in Domino, diem festum celebrantes! Vivat, crescat, floreat nostrum seminarium!

Mense Sextili<sup>2</sup> peractis studiis humanitatis<sup>3</sup> discipuli VI<sup>ae</sup> cl. sperant se, Deo volente, ingressuros in tirocinium<sup>4</sup> spirituale<sup>4</sup> supra dictae Congregationis. Post iucundam «Iuventutem» nos habebit... noviciatus, Haveto<sup>5</sup> atque valet, amicissimi, «morituri» vos salutant!

In pago Kaatsheuvel (Hollandia). Id. Febr. 1940.

Discipuli VI<sup>ae</sup> cl. Domus Missionis.

Collegium Eötvösianum.

<sup>1</sup> photographia <sup>2</sup> Augusto <sup>3</sup> gymnasii <sup>4</sup> annus primus cursus theologicus <sup>5</sup> avete

\*

Illustrissime «Iuventutis» Moderator,

Kelmensis gymnasii coetus «Antika» vobis aliquas imagines et aliquot pittacia Lituana mittunt, etiam optant, ut ea in Vestra ephemeride «Iuventutis» imprimatis.

Omnes Kelmensis gymnasii discipuli discipulaeque Vobis dicunt plurimam salutem.

Vivant «Iuventutis» et eius Moderator!

Butkus Princeps coetus «Antika»

Kelmi, 1940. II. 10.

## LECTORIBUS MAIORIBUS.

### Vivum Latinum.

### Recitatio Latina radiophonica

Budapestini Calendis Martiis ab *Nicolao Szabó* doctore et professore linguae Latinae doctissimo «*De Collegio Eötvösiano*» habita etiam hic publici iuris fit:

Schola gradus superioris, quae de Josepho e liberis baronibus Eötvös nominatur, anno 1895 condita Budapestini in monte Sancti Gerardi in aede amplissima stilo Romano eleganter constructa sedem habet. Rolandus Eötvös, vir scientiarum physicarum doctissimus et toto in mundo clarissimus, primus animo concepit culturae populi Hungarici excolendae causa imprimis magistros scholarum mediarum in litteris et scientiis accuratius instruendos esse. Cum primum auctore eo gubernium cultus et institutionis publicae portas Collegii novi aperuit, permulti iuvenes excellentissimi appetiverunt, ut reciperentur, qua re fieri potuit, ut ratio selectionis, quae in schola nostra summi principii locum obtinet, mox severe observaretur.

Rolandus Eötvös scholam novam dirigendam et administrandam Geysae Bartoniek tradidit, qui amore iuventutis flagrans atque animi cultura altissima et vere Europaea praecellens ad mentes iuvenum formandas et ad leges instituti novi praescribendas vir maxime idoneus videbatur. In numerum autem professorum viros doctissimos, inter alios Eugenium Péterfy et Fridericum Riedl ascivit. Alumni Collegii Eötvösiani — primum quadraginta, postea centum, nostris autem diebus sexaginta — omnes e civibus Universitatis Scientiarum Budapestinensis eliguntur et praeter studia in Universitate perfecta in Collegio a professoribus diversarum scientiarum instruuntur. Ordo autem et institutio studiorum ea est, ut alumni de iis, quae didicerint aut legerint, una cum professoribus intimo quodam modo in minimo sodalium circulo colloquantur et de omnibus studiorum quaestionibus seminarii modo disputent. Itaque alumni solidissima scientiarum fundamenta acquirunt et quasi ad ipsos fontes accedunt.



Rolandus Eötvös, qui Collegium novum patris nomine ornavit et Curatoris officio fovit, animo praesagiente oculos ad scholam Parisiorum clarissimam, quae «École Normale Supérieure» vocatur, direxit, quacum Collegium Eötvösianum iam in ipsis principiis affinitatem artissimam iunxit. Quae res iuvenibus nostris ad litteras et scientias Francogallorum cognoscendas occasionem laetissimam obtulit. École Normale Supérieure enim inde ab initio quotannis unum alumnum Collegii Eötvösiani in aedem suam recipit, quo facto iuvenes nostri iuvenibus Francogallis fraternitate coniuncti cultura et humanitate eorum felicissime afficiuntur. Respublica autem Francogallorum magistros linguae et litterarum ad nos mittit et bibliothecam nostram quotannis donationibus copiosis alit.

Hoc modo schola nostra iam nascens viam versus Occidentem ingressa est. Hodie autem cum pluribus nationibus commercium studiorum habet: praeter magistrum linguae et litteraturae Franco-gallum duo magistri Italiani, duo Germani, tum singuli Anglorum, Estonorum et Polonorum iuvenibus nostris instituendis operam dant. Qui magistri peregrini inter alumnos nostros vitam agentes propius ad indolem et naturam populi nostri accedunt et patriam nostram, quae antea in multis Europae partibus parum, immo saepe false nota erat, melius cognoscunt; multi eorum amici nostri facti sunt et in patriam reversi fautores sinceri rerum nostrarum exstiterunt. Unum tantum exemplum referimus: Hieronymus Tharaud, olim magister linguae et litterarum in Collegio Eötvösiano, nunc unus e praeclarissimis scriptoribus Francogalliae et Academiae Francogallorum sodalis, ius sanctissimum populi Hungarici illo tempore palam et publice defendere ausus est, quo viri politici furore caeco acti nobis, ut ita dicam, vita interdicerere voluerunt.

Conditiones studiorum prosperrimae iam ante bellum nonnullos iuvenes studiosos — et eos maxime ex Oriente — ad nos allexerunt. Post bellum autem numerus alumnorum peregrinorum in Collegio Eötvösiano in annos augebatur. Summo gaudio nos afficit, quod iam abhinc duo annos cum schola Italarum clarissima, quae «Scuola Normale Superiore» nominatur et quae Pisis simili ratione condita et instituta est, ac illa Parisiaca, fideli amicitia coniungimur: quotannis singuli scholarum duarum alumni mutuo modo Budapestini et Pisis studiis operam dant. Praeterea quotannis decem studiosi peregrini in schola nostra collocantur. Denique octo alumni Collegii Eötvösiani et totidem academiarum Germaniae aetatem vicissim in Hungaria et Germania agunt. Usque ad hunc diem scholam nostram studiorum causa frequentabant: Germani viginti tres, Americani viginti tres, Poloni novem, Finni octo, Turcae octo, Italiani sex, Estonii sex, Sueci sex, Illyrici sex, Graeci duo, Croatus unus, Bulgarus unus, Japanus unus.

Altera ex parte alumni Collegii Eötvösiani emeriti in diversis Europae urbibus Collegiis Hungaricis praestant: Romae, Bononiae, Berolini, Viennae, Parisiis, Londini, Holmiae.

Semen, quod Rolandus Eötvös sparsit, 44 annis praeteritis arbor late frondens facta est. Cum autem Curator noster primus anno 1919 mortem occubuit, alia sors bona scholae nostrae illuxit: hereditatem Rolandi Eötvös Paulus e comitibus Teleki, geographus illustrissimus, illo tempore et nunc primus regni Hungariae minister, accipere dignatus est, qui Collegium Eötvösianum per

tempora adversissima, quae patriae nostrae post bellum irruerunt, summa sapientia non solum traduxit, sed id ad eum perfectionis gradum elevavit, ut iure caput et arx magistrorum instruendorum habeatur. Curatorem optimis consiliis adiuvabat Zoltán Gombóc, quondam alumnus Collegii Eötvösiani et eiusdem secundus director, vir doctissimus et litterarum Hungaricarum decus celeberrimum, cuius mortem praematuram maesto animo lugemus.

Bibliotheca nostra, quondam a Dionysio e liberis baronibus Mednyánszky et ab Andrea Semsey opulentissime aucta et donis pretiosissimis Francogalliae, Italiae, Germaniae, Finniae, Estoniae locupletata, hodie ad 60.000 librorum et 135 periodica continet.

E Collegio Eötvösiano annis 44 exierunt 745 alumni; e quibus in universitatibus scientiarum et in scholis gradus superioris professorum officio funguntur 97; in scholis mediis 423; in institutis scientificis et in scholarum administratione munera explent 64; 14 sunt scriptores et tres artis musicae artifices; Academiae Scientiarum Hungaricae sodales sunt 30.

Hospitio Collegii Eötvösiani saepissime fruuntur viri docti et scriptores peregrini, ut apud nos documenta litterarum et artium populi nostri colligant. Hi semper gratissimo animo scholam nostram relinquunt, quia hic eam librorum et iuvenum societatem inveniunt, quae cuique peregrino benevolo, at rerum nostrarum forsitan inscio peropportuna esse videtur.

Quamquam Collegium Eötvösianum in ingeniis iuvenum Hungarorum formandis sine dubio iam manifestos progressus fecerat, illud tamen permulti homines in ipsa patria nostra ignorant. Quod autem facile intelligitur: societas hominum fere eiusmodi scholas et instituta attentiore animo observat, quae condicionibus vitae practico quodam modo inserviunt et quae diplomate tradito homines ad officia peragenda admittunt. Collegium Eötvösianum non hoc fungitur opere, sed omnibus viribus id agit, ut doctos et liberi ingenii magistros formet et emittat. Et si quando in hoc proposito ad bonum et felicem exitum pervenerit, praemium et laudem habebit animi tranquilli de patria bene meriti.

Nicolaus Szabó.

## Proverbia et dicta Latina.

1. *Ab absurdo*: geometria saepe hac methodo demonstrandi utitur.
2. *Ab hoc et ab hac*: temere<sup>1</sup> dicere.
3. *Ab igne ignem* (Cicero: De officiis I. 16, 51.): boni homines patiuntur quemvis ab igne suo ignem capere. Hodie iocose de fumatoribus<sup>2</sup> ignem rogantibus dicitur.
4. *Abiit, excessit, evasit, erupit* (Cic.: in Catilinam II. 1.).
5. *Ab imo pectore*: sincere et vere.
6. *Ab irato*: e. c.: nihil decerne iratus!
7. *Ab Iove principium* (Vergilius: Ecloga III. 60.): incipiamus ab Iove (ab re maximi<sup>3</sup> momenti<sup>3</sup>).
8. *A bonis bona discere*.
9. *A bove maiori discit arare minor*.
10. *Ab ovo*: Horatius (Ars poetica 147) laudat Homerum, qui bellum Troianum non ab ovo Ladae<sup>4</sup> orditur, sed in medias res festinat.

<sup>1</sup> füt-fát = unüberlegt = à tort et à travers <sup>2</sup> dohányos = Raucher = fumeur <sup>3</sup> legfontosabb = wichtigst = le plus important <sup>4</sup> cuius filia, Helena causa fuit belli



## De Iano Pannonio, poeta humanista regis Matthiae.

Inter sollemnitates, quae quinto centenario diei natalis regis Matthiae celebrabantur, haud parvi momenti est habenda ea, quam Societas Litteraria de Lafontaine dicta die 25-o m. Februarii a. c. egit. Iosephus Huszti dr., prof. litterarum Latinarum Universitatis Budapestinensis, ratione Matthiae Corvini regiaeque eius habita, memoriam Iani Pannonii, praeclarissimi poëtae humanistae Hungarorum redintegravit. Placite descripsit singularem istius naturam, qui inter clarissima ingenia numerabatur aulae regiae, ubi rex Matthias tot viros doctos congregaverat et studio artium litterarumque et cupidine famae gloriaeque, qua fautores Maecenatesque aetate renaescentium litterarum decorabantur.

Ianus Pannonius (1434—1472), vero nomine Ioannes de Csezmice, cum rege Matthia, ratione originis maternae, sanguine coniunctus erat. Adolescens ingeniosissimus annum XIII agens ad Guarinum Veronensem Ferraram missus est. Spatio septem annorum, quos ibi degebat, ad summum poëseos Latinae fastigium evector est ita, ut operibus poëtae Italicos quoque illius temporis superaret. Cum Paduae quoque studiis litterariis operam navavisset, XXVI annos natus a rege Matthia episcopus Quinqueecclesiensis creatus est. In Hungariam reversus praesertim Budae, in aula regia, commorabatur.

Epigrammatibus mirifice est usus vique daemnica novum quemdam Martialem se praebebat. Ardor vigorque singularis in Elegiis eius apparet. In nonnullis Panegyricis quoque verus sincerusque enthusiasmus manifestatur. Annales eius de rebus gestis Hungarorum, pro! perierunt.

Aeterne dolendum est, quod ingenium hoc singulare aetatis renaescentium litterarum a. 1472-o coniurationis in regem admodum acri ingenio conflatae socius factus est. Qua quidem detecta in Italiam fugiens in itinere in Castro Ursi (Medvevár) prope Zagrabiam, corpore menteque aequae collapsus, anno aetatis suae 38-o vita decessit.

Elegia, quae inscribitur «Ad animam meam», fideliter repraesentat incommoda calamitatesque poëtae, qui totam ferme vitam valetudine infirma degebat:

«Poenitet infirmos teneri quod corporis artus  
Molle Promethea texiit arte lutum.  
Nam mala temperies discordibus insita membris  
Diversis causas dat sine fine malis.  
Continua ex udo manat pituita cerebro,  
Lumina nescio quo saepe fluore madent.  
Effervent renes, et multo sanguine abundat  
Sub stomacho calidum frigidiorie iecur.»

Est operae pretium tam fragili corpore fungi?

«An te forte ideo gracilis compago iuvabat,  
Ut saperes tenui carcere clausa magis?  
Sed quid in aegrotis sapientia pectore prodest?  
Non ego cum morbo Pittacus esse velim.  
Nec molem Atlantis cupio roburque Milonis,  
Sim licet exilis, dummodo sospes agam.  
Aut igitur commissa diu bene membra foveto,  
Aut deserta cito rursus in astra redi.»

Inhorrescit vates metempsychosin. Si quidem nullo modo potest hoc fatum evitare, id unum orat, ne iterum humano debeat corpori immigrare:

«Verum ubi millenos purgata peregeris annos,  
Immemoris fugito pocula tarda lacus.  
Tristia nec priscis reddant te obliviosa curis,  
Neu subeas iterum vincla reposita semel.  
Quodsi te cogent immitia fata reverti,  
Quidlibet esto magis, quam miserandus homo.  
Tu vel apis cultos lege dulcia mella per hortos,  
Vel leve flumineus concine carmen olor,  
Vel silvis pelagove late: memor omnibus horis  
Humana e duris corpora nata petris.»

Anniversario 500-o regis Matthiae iure meritoque moneatur Europa: poëtam humanistam, quem nostra de parte primum studii renaescentium litterarum dedissemus, eundem inter primos existisse eorum. Cum ille de «Helicone Italico» ad ripas Danubii revertisset, praestantissimos Europae viros ad patriam nostram animum advertere coëgit. Memoria eius magnopere probat Hungariam, quae in finibus Occidentis, propugnaculo cultus Christiani, sanguinem profunderet, cum cultu atque humanitate Europae artissime fuisse coniunctam.

Ea, quae de Iano Pannonio tradita erant, aptissime illustrabantur carminibus poëtae a Ladislao Geréb perfecte translatis, quae A. Maria Kulcsár et Paulus Somody mirum in modum recitabant.

Iulius Kováts dr. Bp.

## «Iuventutis» Ephemeridis Laudes.

(Hymnus.)

- |   |   |
|---|---|
| <p>1.</p> <p>«Iuventutis», quae in chartis<br/>Mundi fert notitias,<br/>Omnis monumenta artis,<br/>Virtutes, scientias,<br/>Gloria sonet perennis<br/>Casula et aedibus,<br/>Proli cum cultum aeoenis<br/>Rudi promat fidibus!</p>    | <p>4.</p> <p>Tincto sale qui libello<br/>Moestus mente tangitur,<br/>Spiritu surgens anhele<br/>Laetus hilarabitur;<br/>Haec ephemeris canora<br/>Comes est studentium,<br/>Alacri et luctus hora<br/>Consolatritz omnium!</p>                |
| <p>2.</p> <p>Lingua dulcis cum Latina<br/>Viva sit, non mortua,<br/>Perstat sermo vi divina<br/>His scriptis per saecula:<br/>Hoc libello menstruali<br/>Nulla est ephemeris<br/>Melior, qua speciali<br/>Discat modo iuvenis.</p>    | <p>5.</p> <p>Dicta qui scribit iocosa<br/>Salibus aenigmata,<br/>Nostra Ottonem<sup>1</sup> formosa<br/>Adeant auguria!<br/>Iuventutis ast amator<br/>Qui terrarum nobilis.<br/>Vivat doctus Moderator<sup>2</sup><br/>Huius ephemeridis!</p> |
| <p>3.</p> <p>Scriptum intra laboratum<br/>Arguto ingenio,<br/>Extra pictum et ornatum<br/>Auctorum consilio<br/>Semper erit perlegenti<br/>Iucundum ac utile,<br/>Patriaerque resurgenti<br/>Cultus calcar nobile.</p>                | <p>6.</p> <p>Romanorum docta ore<br/>Iuventus Hungarica,<br/>Fervido legis ardore<br/>Plurimum Ausonia!<br/>Huius fac scripti lectores<br/>Te sequantur in dies:<br/>Brevi ut subnotatores<br/>Augeantur millies!</p>                         |
| <p>7.</p> <p>«Iuventutem» sic laudemus<br/>Novo cordis cantico!<br/>Illi doctas res mandemus<br/>Toto gestas saeculo!<br/>O senectus, o iuventa,<br/>Te hoc scriptum perforet:<br/>Mentis donet incrementa<br/>Ac tenere relevet!</p> |   |

Rud. Nowowiejski, Vilnae.

<sup>1</sup> Otto Schmied Vindobonensis <sup>2</sup> Iosephus Wagner Dr.



## Epitome e Francisci Deák epistula

ad filium baptismalem scripta.

Convertit: *Emericus Szántó* disc. Keszthelyensis.

*In corde ingentes tibi hostes saepe minantur,  
Qui motus animi appellantur; amoris et aequos  
Iustitiae sensus sacrae falsos facientes  
Firma animae motus stabili vi et vehementis  
Per te franges. Ne — timeo — mens, cor puerile  
Servi animae motus orbatu oculis videantur.  
Vanum amens tibi desit et immo, si super omnes  
Sors bona amabit, mens et cor maneant bene casta!  
Confer in usum prosperitatis — at omnis egestas  
Casto hominum tibi amore uengenda est — munera  
sortis;*

*Et nullos acer violare bipennibus armis  
Derisus comitantis et ingenium. Brevi risu  
In corde asperitas remanet mordax violato  
Et parva ambitionis gloria tum cruciatus  
Laesi et perditu amoris permagno<sup>1</sup> tum emenda est.  
Invidiam cave; ad egregia altam sedulitatem  
Sint stimulanda. Sed indignatio<sup>2</sup> hominum mihi  
sorte,*


*Prosperitate animo tam est flagitiosa priorum,  
Ut bonitas illam fugiat velocibus alis.  
Invidiae sic laetitia mixta asperitate  
Invid(ia) amara igitur punit se immaniter ipsam.  
Mobilitas animae sociis plus et tibi damni  
Affert omnia restituenti animo, procul absit!  
Tu ne luderis almae caecus munere sortis  
Et ne fortunae ac tempus triveris amens;  
In pueritia<sup>3</sup> effusa — amens — nulla ratione  
Posthac irrevocabilia flendo esse videbis.  
Pigrityam fuge vitamque ignavam. Sei<sup>3</sup> flore  
Aetatis consuescas conflictare labore,  
Delectab(e)ris vir maturus suaviter isto.  
Nulla re, nisi robore mens corpusque laboris  
Sustentantur; sic facimur nos civibus apti.  
Ignoscunt homines multa a cura utilitatis  
Pro vacuo eis nitenti. Labor pulcherrima fertur  
Lex summa esse hominis. Postquam excultus gra-  
vitate*

*Curriculum in vitae durum prodisti refertus;  
Si vox summa severa labores officii omnes  
Vitam ac vita laetitia cupiet sine fine;  
Procedas, prima esto tunc tibi patria sancta!*

<sup>1</sup> scilicet: pretio <sup>2</sup> dic: indignatio, pueritia <sup>3</sup> si

## Librorum recensio.

**S. M. Stephenson:** 1. Brevissima ac integra ad usum loquendi Grammatica Latina omnium regularum additis colloquiis Latinis in schola adhibendis cum Latino glossario rerum modernarum. 1936. — 2. Usus loquendi seu eclogae



Seminarium Meinradinum, ubi rev. Stephenson libros suos Latinos perclaros scripsit.

emendatissimae ex scriptis temporum omnium Latinis. 1939. Carthagenae-Ohio.


Haud exigua pars est eorum, qui queruntur propter ieiunam et austeram docendi consuetudinem, qua lingua Latina in scholis discipulis tradatur et inculcetur, ipsam linguam ab eis omitti ac respui; quae quidem querimonia non solum apud nos, sed etiam in America crebris sermonibus usurpatur atque a discipulis academicis haec cantilena cantatur:

*«Latin is a dead, dead language,  
As dead asit can be.  
It killed off all the Romans,  
And now it's killing me.»*

Huic incommodo et malo ut aliquod remedium adhiberetur, commodiorem, faciliorem et cotidiano usui accommodatiorem rationem docendi commentus duos, quorum titulos supra memoraveram, compegit libros forma quartanaria Rev. Stephenson, quorum prior (pag. 228) ex tribus constat partibus, quarum prima grammaticae Latinae et elementa et syntaxis explanantur sic, ut praecepta distincte concisa brevitate exemplorum illustrentur, secunda pars colloquia 50 continet, quae imprimis de rebus scholasticis atque etiam grammaticis et de rebus vitae cotidianae habentur. Tametsi non negaverim in colloquiis satis inesse varietatis, tamen res grammaticae mihi iusto prolixius tractari videntur, quae periculum est, ne discentibus taedium importent. Pars tertia locutiones et vocabula modernae vitae Latina complectitur. Duo tantum delicta offendi, quae sunt: «ad decimum quintum paragraphum», at paragraphus feminini generis est; «perendinas sententias» Anglice: the sentences of yesterday. Latine dicendum erat sententias hesternas.

Librorum, quos supra memoravi, altero scriptorum et poetarum Latinorum atque eorum 42 gentilium, 62 Christianorum partes inde ab antiquissimis temporibus, id est a legibus XII tabularum usque ad nostram aetatem nemine excellentium praeterito paginis 400 exhibentur. Unicuique parti addita sunt circumlocutio Latina, lexicon omnium fere vocabulorum et Anglica interpretatio, ita ut lectio nulli discipulorum, ne imperitissimo quidem aliquam intelligendi offerat difficultatem. Non mirum est, ut in tanta copia scriptorum in tam exiguo spatio coartatorum, cum non nisi offulae legentibus ministrentur, sapor eorum prae parvitate vix sentiri possit; at contra litteras Latinas primis ut dicitur labris gustare cupientibus magno hic liber usui erit. Rev. Stephenson, vir doctissimus peritissimusque latinitalis etiam nostram linguam callere videtur, exemplis enim hungaricis quoque in grammatica utitur. Libros eius iam multis in scholis Americae usitari nos quidem Hungari gaudentes comperimus.

**Frideczky József:** A barokk Róma szentje. Képek Kalazanci Szent József életéből és korából. Budapest, 1939. A Szent István-Társulat kiadása. Pag. 338. Pretium Pengoe 4.60. — Quodsi nostris temporibus virorum clarorum atque excellentium mulierum vitam facta et mores non historicorum, sed fabulosas narrationes scribentium more modoque tradere usitatissimus mos est, quidni liceat virorum sanctorum vitam et res gestas integumento et involucri fabulae, quae vocatur Romanensis, involutas, quo valentius vigore et alacritate narrationis animi capiantur ac delentantur, legentibus proponere? Quam viam ingressus Iosephus Frideczky vitam, mores et res gestas Sancti Iosephi Calasancii, ordinis patrum piorum conditoris iucundissime explicavit, ita tamen, ut eius rebus



Rev. Stephanus M. Stephenson Americanus, qui linguae Hungaricae aequae peritus est ac Latinae.



gestis suorum motibus, inclinationibus et momentis temporum intextis non solum vitae Calasancianae, sed etiam illustrem illius aetatis effigiem solide expressam videamus. Ex Iosephi autem Frideczky luculenta ac vivida narratione non sine quodam animi motu comperimus ut sancti viri mores pii et simplices per aetatis suae flagitia, scelera, dedecora, helluationes simulatesque et aemulationes aequalium ac sociorum intacti et integri evaserint quantaeque molis fuerit patrum piorum condere ordinem. Quamquam Frideczky fabulae Romanensis instar vitam Calasancii persecutus est, optimorum tamen usus copia uberrima fontium, quos extremis libri paginis commemorat, exaggerandi causa veritatem nequaquam fuco oblevit. Haud dubium esse dico, quin viri et pueri pariter hanc Calasancii vitam summa cum voluptate ac suavitate perlecturi sint.

Car. Acs Bp.

**Szemelvények Quintus Horatius Flaccus ódából.**  
Dömötör István fordítása. Szekszárd, 1828. A fordító bilinguis kiadása. — Auctor huius libelli 49 paginarum 16 carmina Horatii hungarice reddidit metris poëtae Romani accuratissime servatis. Laudabilis est volubilitas, qua imitatur strophas carminum Latinorum, neque tamen sensus verborum solito magis mutatur, sicut hoc exemplum demonstrat (Ad Aristium Fuscum, Carm. I. 33) :


A szilárd jellem s a mocskotalan szív  
Semmi mór dárdára, tegezre, íjjra  
Nem szorul Fuscus, sem a mérgezett nyíl  
Nagy tömegére.

Ex uno disce omnes. Pretium libri 2 pengoe.

## Inscriptiones Latinae.

### Monumentum leonis.

A. 1792 tempore rebellionis Francogallicae milites et praefecti cohortis Helvetiorum Parisiis palatium «Tuileries» fortiter defendentes trucidati sunt. Quorum in memoriam a. 1821 leo moriens 8·7 metra longus in saxo ab artifice statuarum Ahorn Constantiniensi de exemplari sculptoris illustrissimi Daniae, Thorwaldsen (1770—1844), sculptus est. Leo moriens hastā fractā transfixus lilia Burbonum in scuto efficta unguibus tuetur. Belua illa, quae iam temporibus praechristianis virtutem vigilantiam coniunctam significavit in portis, virtutis Helvetiorum est effigies. Inscriptio Latina monumenti haec est :



Monumentum leonis in urbe Lucerna.

Helvetiorum fidei ac virtuti.  
Die X Augusti II et III Septembris MDCCXCII.  
Haec sunt nomina eorum, qui ne sacramenti fidem fallerent, fortissime pugnantes ceciderunt. Sollerti amicorum cura superfuerunt.

Duces XXVI

Duces XXVI

(hic leguntur nomina ducum)

Milites circiter DCCLX

Milites CCCL

Cuius rei gestae cives aere collato perenne monumentum posuere.

Arte a Thorwaldsen.

Discipuli gymnasii Luganensis.



Hirohito imperator Japoniae annum 2600-um patriae et domus regnatricis cum ducibus exercitus celebrat.

## 5. Adoratio Pastorum.

(Pójdźmy wszyscy do stajenki.)

Venimus te adorare  
Virginemque salutare,  
Te, dulcem Prolem amatam  
Et Matrem immaculatam.

Te sperabant patriarchae,  
«Salve» clamabant monarchae  
Te prophetae nuntiabant,  
Gentes diu implorabant.

Nobis in praesepe fave,  
Solamen piorum, ave!  
Qui hac natus nocte gaudes,  
Inferi nam portas claudes.

Salve, clarum vitae lumen,  
Salve, geminatum Numen  
E diva Patris natura,  
E sinu matris figura!

Mirius quid orbe rerum?  
Hominem ac Deum verum  
Cernimus, personam divam,  
Utramque naturam vicam.

Orbium creator verè,  
Gentes te non recepere?  
Quas salvare tu venisti,  
Antro te locabant tristi?

At vocasti nos mortales,  
Qui valemus inaequales,  
Vigiles nocturnos gregis,  
Primos quos ad specum regis.

Pascuorum fortunatos  
Nos quis gaudiis elatos  
Pingat; quod patres rogabant,  
Nunc pastores impetrabant.

Quae promissa priscis vere,  
Praedicant iam natī terrae:  
Misericors miserere,  
Pauperum fidelis here!

Quam amice nos fovisti:  
Genito non pepercisti,  
Ad aerumnas quem misisti  
Iam natiuitate tristi.

Iesu, vitae voluptatem!  
Vis efferre egestatem,  
Coeli spernis maiestatem  
Perfringens divinitatem?


De tuo amoris fonte  
Incepisti opus sponte:  
Ne absimus coeli globis,  
Fis tam humilis, par nobis!

Fac, ut supra aliquando,  
Hic colamus te amando:  
Nam amor amorem donat,  
Coeli vox amore sonat.

Virgo sacra, tuo fetu  
Coeli inseremur coetu!  
Proles, nos genus agreste  
Duc in atrium coeleste!

R. Nowowiejski Vilnae.





## Solutiones aenigmatum numeri V.

1. Sal, ave, lex. — 2. Ver, ego, ros. — 3. Aper, pono, enim, Romia. — 4. Fama, amor, mola, Arar. — 5. Prosit novus annus Juventuti.

**Aenigmata recte dissolverunt:** In Hungaria: V. Árvay, M. Bartha, Cl. Göbler, N. Horváth, M. Kertész, Ae. Pokorny, I. Ruitz, E. Madocsay, E. Unghváry, H. Korompay, G. Margittay, J. Pukánszky, E. Somogyi, Au. Turner, S. Wittinghof, P. Cholnoky, H. Eckhardt, Gr. Kerényi, M. Kossaczky, J. Németh, M. Pieke, I. Vaskó, L. Faust, I. Fáy (*Szilagyianum\**), G. Moldoványi (*Werböczyanum*), St. Székely, St. Faluhelyi, Eu. Trombitás (gymn. *Archiep.*), E. Bányai, M. Blandl, A. Salamon, E. Szál, Ae. Bárány, M. Irsy, A. Králik, S. Mihályi, M. Sztópka, E. Kohl, H. Trombitás, E. Várjon (*Ursulanum\**), G. Haluskay, M. Tóth, S. Halmi, A. Stiller, M. Rezső, M. Lewinger (*Veresianum\**), I. Mosonyi, B. Tokayer, Th. Weiss, V. Huszty, A. Schwarcz (*Giselanum\**), G. Binder, J. Kubin, M. Varga, J. Héj, L. Ogonovsky, J. Witthalm, P. Tolnay (*Scholae Piae*), G. Gonda, G. Révész, Fr. Szakács, I. Vida, R. Wimmer, G. Gárdos, R. Csató, G. Germanus, Fr. Kállay, G. Steiner, P. Alpár, E. Bamberger, P. Bornstein, L. Gerényi, Al. Heumann, J. Kaczur, Fr. Molnár, M. Roger, G. Schwarcz, Al. Weisz (*Bolyayanum*), A. Samarjay (*Theresianum\**), R. Schäffer (*Madachianum*), G. Lénárd, E. Rosner, P. Konrád, P. Resofszki, G. Fabinyi, L. Keleti, G. Nyitray, L. Szabó, J. Sákovits, L. Grosz (gymn. *IPEA*), E. Boross, E. Kováts, E. Crettier, H. Scholtz, C. Hollósi, El. Binder, M. Grabits (*Sophianum\**), St. Gátszegi, J. Katona, J. Szabó (*Americanum*) *Buda-pestinenses*. E. Réti, J. Rozsnyay, St. Vida, J. Neun (*Domb-ovarienses*). E. Ficzer, A. Madarász, P. Trillsch, V. Varga, G. Vongrey, L. Lenkei, Z. Babocsay, St. Csánk, Al. Halka, St. Kakuk, L. Korponai, St. Péteri, M. Simon, D. Szentgyörgyi, P. Szontágh, L. Juhász, O. Bácskai, Z. Berta, O. Bottka, L. Erdős, El. Erhardt, L. Gallai, Fr. Janka, Z. Jankovics, P. Jászai, G. Kaló, C. Kenderessy, J. Klinszky, L. Komoróczy, G. Kurczweil, E. Mátray, C. Mile, L. Nagy, G. Polónyi, A. Pomozi, J. Pöpl, St. Schéda, L. Szalay, J. Száva, J. Szkladányi, E. Tóth, C. Ungár, L. Vámos, J. Oszvart, A. Balla, F. Gábor, St. Kéri (*Bernardinum*) *Agrienses*. Classis B) VII. *Érsekújvarienses*. St. Hatvani, O. Waldner, L. Medve, J. Szó (*Koháryanum*) *Gyöngyösienses*. A. Borbély, J. Héjja, E. Kákonyi, E. Molnár, C. Osgyáni, P. Straub (*Stephanum*) *Colocenses*. J. Balázs, St. Börcsök, C. Imgrund, Al. Káplár, C. Lehoczky, St. Zsembery, St. Horváth, A. Amstadt, B. Schöffner (*Sziládyanum*) *Kiskunhalasienses*. L. Hársing (*Horthyanum*) *Kisújszállásienses*. Fr. Horváth, St. Ipkovich (*Francisco-Josephinum*) *Ginsienses*. J. Kápolnai (*Ladislainum*)

*Mezőkövesdienses*. Br. Légrády, H. Faragó, J. Kner (*Telekianum\**) *Mezőtúrienses*. Classis B) II. L. Sloczár, J. Nagy, J. Czákó, J. Madarász, L. Kertész, C. Bodnár, L. Otto, Fr. Callmeyer, L. Rezaczkai (*Fraterianum*) *Miscolcienses*. G. Weisz *Munkacsiana\**. A. Vukics, S. Ehmann (thg. «*Domina Nostra\**») *Magno-Canisianae*. St. Csinády (*Pianum*) *Quinqueecclesiensis*. Au. Tasnády *Rákoscsabana*. M. Bella (*Ursulanum\**) E. Kohn (*Szechenyianum*) *Scarabantini*. N. Mermelstein *Novopestinensis*. L. Tamás, E. Földvári (*Scholae Piae*) *Vesprimienses*. — In Batavia: W. Frederiks, G. Steenhof, W. Wenstedt, C. v. d. Broek, A. v. d. Burgt, G. v. d. Hoven, C. Jacobs, P. Vette, J. Vossen, L. Berndsen, C. v. d. Valk, H. v. Heyst, P. Luyckx (*Antonianum*) *Kaatsheuwelienses*. A. v. d. Graaf, J. v. Leeuwen *Schiedamenses\**. I. Berkvens *Eindhovenienses*. — In Helvetia: M. et Alf. Zeier, Ael. Ghirlanda, C. Arnaboldi, (gymn. *Cantonale*) *Luganenses*. J. Grob, Fr. Acklin, R. Baumgartner, M. Bossard, E. Binkert, J. Cao, Al. Iten, P. Kamber, A. Kellenberger, B. Ritter, F. Spiller, H. Suter, W. Zürcher *Tugini*. — Stellula \* scholas puellarum indicat.

**Praemium sorte Gabrielae Margittay, Melindae Irsy, Susannae Halmi, Theresiae Weiss, Josepho Héj, Mario Roger, Gustavo Nyitray, Elisabethae Borsos, Ernesto Réti, Aloysio Halka, Ottoni Waldner, Emerico Molnár, Stephano Horváth, classis B) II Miskolciensi, Willibrordo Wenstedt, Carolo Arnaboldi, Josepho Grob, Annae Samarjay, Joanni Katona, classis B) VII Érsekújváriensi, Stephano Ipkovich, Juliae Kner, Stephano Csinády, Aurorae Tasnády, Margarethae Bella, Egoni Kohn, Juliae v. Leeuwen obvenit.**

### 1. Quadratum magicum.

1.	2.	3.	
			A A I
			I M S
			T T T

1. Est coniunctivus copulae.
2. Pro «sic» hoc potes dicere.
3. Et item hoc adverbium  
Secundo est simillimum.

Otto Waldner disc. cl. V. gymn. Gyöngyösiensis.

### 2. Quadratum magicum.

1.	2.	3.	4.	
				A A A A
				B C E E
				I I N R
				R S S T

1. Hac voce domum parvam nomino.
2. Pro «proficiscitur» adhibeo.
3. Est praepositio ad ablativum.
4. Colorem indicans est adiectivum.

Geysa Tokaji disc. gymn. cl. III. Makonensis.



## 3. Ad saltum equulei,

Ut	dan	res	est
vi	men	de	lun
da	tas	lau	ta
	sint	vo	


Josephus Berlowitz disc. gymn. Luganensis.

## 4. Pyramis.

1	Quae nota est praeonominis.
2 1	Pro ille» necnon invenis.
1 2 1	Est quaedam forma copulae
3 1 2 1	Est verbum cum pronomine.
3 4 1 2 1	Est idem atque «gladius».
5 3 4 1 2 1	Est temporalis terminus.

Oto Waldner  
disc. cl. V. gymn. Gyöngyösiensis.

## 5. Rebus.



Geysa Lakatos disc. Dombóváriensis.

## 6. Crucigramma.

1	2	3	4		5	6	7
8				9			
10					11		
12				13			
14							
	15		16				
		17					
	18			19			
				20		21	

Ad libram:

1. Ridiculus est. 5. Leges hoc civibus dant. 8. Uxor Jovis. 9. Est magister optimus. 10. Cuius maritus mortuus est. 11. Forma brevior adverbii satis. 12. Error corrigendus. 13. et 14. Coniunctiones. 16. Initium mensis Octobris. 17. Legatus Summi Pontificis. 19. Littera addita adverbium temporale exstat. 20. Pronomen demonstrativum. 21. Proverbium: nomen est...

## Ad perpendiculum.

1. Contrarium senectutis. 2. Dea Aegyptia. 3. Hoc si facio, nummos fabrico. 4. Creditor poscit a debitore. 5. Iudex servat colitque. 6. Femininum numeri. 7. Cognomen Graecum Christi Redemptoris. 15. Numerus primus. 19. Eadem coniunctio ac 14 ad libram.

Stephanus Gátszegi disc. Americani Bp.


7. Utraque vox Graeca est, dispar est consona prima: omnia mirifice cetera conveniunt.

Elicit haec pulsu dulces numerosque modosque: igne cadaver iners illa vorace cremat.

Prof. Fr. Palata (Trebic—Moravia.)

Nota. Lectoribus minimis: 1, 2, mediis 3, 4, maioribus 5—7. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistolae ad moderatorem (J. Wagner, Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20) mittant. Terminus solutionum: Calendae Maiae.

Finni duras pacis condiciones ab Russis per Suecos internuntios ultro allatas acceperunt.



Corrigenda numeri VI (Febr.): pag. 66: pro: «plena» lege: plenum. — pro: «venduntur» lege: veneunt. — pag. 68. pro: «somniabat» lege: somniabat. — C. P. Clausen (Dania). De re metrica discipulis scribere haud facile est, quare neminem adhuc inveni, qui hoc pensum susciperet. Vale! — Ioannes Tóth. «Res periculosa» tua nec iocosa, nec iucunda dici potest. Mittam tibi materiam meliorem convertendam. — G. Lakatos, L. Tamás, E. Réti, T. Balázs, P. Vette, St. Hawani, Eu. Trombitás, Fr. Szakács, J. Kápolnai, Z. Babocsay, F. Örs, W. Zürcher, Alf. Iten 30 aenigmata miserunt. Aenigmatum hoc anno scholastico tantam multitudinem accepi, ut singulis mensibus 10—15 aenigmata edere possem, nisi loco carerem. Maxima pars horum aenigmatum «quadratum magicum» est. Discipuli igitur orantur, ut etiam alia genera aenigmatum colant. — L. Popper. Narratio a te missa longior est, quam ut statim edi possit. Manuscriptorum enim edendorum 3 chilogrammata habeo. — Alia opuscula ad moderatorum miserunt: L. Tamás, gymn. Kelmense et Kaatshevelense, J. v. Heugten, M. Bella, St. Hawani, G. Kardos, St. Bihari, M. Szabó. — St. Stephenson. Pro pittaciis pulchris gratias ago maximas. Mox ego quoque mittam. — Libri, quos prof. Bellissima, Al. Domanovszky, S. Kalmár miserunt, ordine recensentur.

Lectoribus atque amicis nostris ferias Paschales felices et laetas!

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: Fr. Kohl. jun.